

RELATIO AD FEL. RECORD. GREGORIVM PP. XV.

PER PETRVM MARIAM CAMPVM CANONICVM PLACENTINVM.

SVPER PROCESSV, ET CAVSA
Canonizationis, seu Beatificationis

GREGORII PAPAE X.
PATRIA PLACENTINI.

Transmissa Ann. 1622. die 10. Martij.

Quę deinceps ab eodem Pont. Gregorio XV. remissa Sacrę Congregationi Rituum, examinanda;

A S. D. N. VRBANO OCTAVO
Illius successore ad optatissimum finem quamprimùm perducenda speratur.



P L A C E N T I Æ,
Et iterum Florentiæ, Apud Zenobium Pignonium. 1624.
Superiorum Permissu.

Il Signor Neri Iacopi Canonico Fiorentino, riuegga per grazia questa scrittura, e referisca: se in essa vi sia cosa: contro la santa Fede Cattolica: o contro i buoni costumi: si che non si possa mandare alle Stampe. Data il dì 16. di Nouembre 1623.

Orazio Quaratesi Vicario sost. di Firenze.

Hauendo letto la presente scrittura, e non hauendo in essa trouato cosa, che repugni alla Fede Catbolica, o alli buoni costumi, ma si bene piena di vna esemplare deuozione, credo poterfi stampare. Il dì 22. di Nouembre 1623.

Neri Iacopi Canonico Fiorentino.

Vista la suddetta Relazione, si concede licenza, che si possa stampare la scrittura contenuta in questi fogli, se però così piace al R.P.Inquisitore. Data il dì 4. di Dicembre 1623.

Orazio Quaratesi Vicario sost. di Firenze.

Hoc opusculum Relat. super processu, & causa Canoniz. seu Beatif. Greg. PP.X. est magna pietate refertum ac Fidei Cathol. & bonis moribus consonum dignumq; vt typis mandetur. Quod testor 17. Septembris 1623.

Ego Frater Philippus Brunettus à Flor. Magister qui ipsum perlegi de mandato R.P.Vic.Inquisit. Flor.

Imprimatur Florentiæ. Die 16. Decembris 1623.

Frater Bartholomeus Vice Inquisit. Florent.

Stampisi il dì 12. Gennaio 1623.

Niccolò dell'Antella.

DE SANCTITATE GREGORII PAPAE X. IN GENERE.



ELATVRVS, Beatissime Pater, statum causæ, de qua infrà, & ad effectũ, de quo in supplicibus litteris S. V. scriptis, dico, ad probãdam sanctitatem in genere fel. rec. prædecessoris vestri Gregorij olim Papæ X. patria Placẽtini; qui anno 1276. dum è Concilio Lugdunensi Romam rediret, Aretij in Ætruria sanctissimè obijt, ibique in maiori Ecclesia honorificè cõditus, ad hæc vsq; tẽpora multis miraculis fulget; octo proponi posse argumenta.

Primum erit communis Christiani populi opinio de ipsius sanctitate, fideliumq; deuotio erga dictum Dei famulum, & notorius concursus etiam de præsenti ad eius sepulcrum cum inuocatione illius intercessionis, ac successu diuersorum miraculorum: quæ omnia fuerunt per spacium 346. annorum continuata, & patet ex affixione tabellarum votiuarum pro receptis gratijs; ac ex publica charta ibi appensa, quæ nonnulla ex antiquis miraculis continet, descripta etiam, *prout Bzouius refert annal. Eccles. tom. 13. ad an.* 1276. *num.* 1. in codice MS. Bibliothecæ Vatic. num. 3457. signato, necnon & ex relatione complurium Historicorum tàm veterum, quàm recentiorum, quibus multum defertur in hac materia, signanter cano-

nizationis, secundum allegata per DD. Auditores Sacri Palatij deputatos in relatione super processu B. Andreæ Corsini quon. Episcopi Fesulani *par.* 4. §. 1. *versic. primò*, per eundem Bzou. registrata *tom.* 14. *sub an.* 1373. *nume.* 9. & maximè cum nullus inter eos adsit nec Placentinus, nec Aretinus, nec cuius intersit fieri canonizationem, vt sunt Ptolomæus Lucensis, Martinus Polonus, Ioannes Columna, Bartolomæus Pisanus, Blondus, Sanctus Antoninus Archiep. Florentin. Platina, Philipp. Bergomensis, Volaterranus, Leander, Marcus Guatius, Ciaconus, & alij, de quibus infra.

Quorum quidem primi, tanquàm illius temporis, quo Gregorius vixit, scriptores, & grauissimi viri, de visu, ac certa scientia loquuntur; & præsertim Ptolomæus, & Martinus, qui ambo floruerunt de an. 1250. fuitq; hic *secundum Bellarmin. de scriptor. Eccles.* Monacus professione, Archiepiscopus dignitate, ac Pœnitentiarius Innocentij IIII, & obijt circiter an. 1285. ille verò ex Ordine Fratrum Prædicatorum, discipulus primò extitit Sancti Thomæ Aquinatis, mox Episcopus Torcellensis, & Præfectus Bibliothecæ Vaticanæ: qui vsque ad an. 1304. superuiuens in annalibus suis (recenter de anno 1619. impressis) de ipso Gregorio meminit sub anno 1274. scribitq; eum Aretij migrasse ad Dominum ex infirmitate, ac multa ibi eiusdem meritis ostensa fuisse miracula. In quem sensum loquitur, & Blondus, qui anno 1440. floruit, de ipsius Gregorij sanctitate, ac concursu ad eius sepulcrum, & miraculorum continuatione sic dicens: *dec.* 2. *lib.* 8. Cumq; Aretiū peruenisset Sanctus, & summa dignus veneratione Pontifex, diem ibi obijt; ad cuius celebre etiam nunc sepulcrū sanctitas sua quanta fuerit, miraculis crebrescentibus est ostensum. Quod & confirmat idem Blondus in alio suo libro de regione Lombardiæ inscrip. vbi de Placētia, his verbis: *Habuit [Placentia] Gregorium X. Pont. Rom. qui Lugdunense Concilium celebrauit; isq; Pontifex celeberrimus post multa*

multa gloriosè in Ecclesia Dei gesta, Aretij obijt, & sepultus est, vbi sæpe miraculis coruscauit: Sanctus quoq; Antoninus Archiep. qui ex hoc sæculo migrauit anno D. 1459. ætatis suæ 70. per verba paulò inferius in 2. argum. recensenda, hoc ipsum apertissimè testatur. De cuius fide non est ambigendum, cum æquè sanctus, ac doctus fuerit,& ab omni adulandi specie alienissimus,*vt inquit Bellarmin.in tract.de potestate Papæ, vbi de sententijs Illustr. Scriptor. nationis Italicæ*; & quia in hoc loquitur tanquam de re sibi notissima tum ex vicinitate locorum, tum ex ipsorum miraculorum celebritate, tùm etiam ex mira eiusdem Beati Antonini erga Sanctorum reliquias pietate. De publica autem voce, & fama, quoad antiqua tàm circa communem sanctitatis reputationem, quàm respectu miraculorum, & concursus testãtur *Philip. Bergom.in supplem. lib. 13.ad an. 1271. Paul. Æmil.de reb. Francor. lib. 7. Historia Hollandica, Raphael Volater. commentar. vrban.lib.22. Leander in sua Italia, vbi de Placentia, Raph.Tossinianen. histor.Seraph. relig. lib, 1.,vbi de Sancto Bonauentura, Cronic.Frat.Minor.p.2.l.2.c.7. Ciaconus in Gregorio X. Siluan. Raz.in vita S. Bonauent. Ioannes Naucler vol.2. Chronograph.generat.43. Dominicus Tẽpesta Roman. lib.de vitis Summ.Pont. vbi de ipso Gregorio, et alij multi* sufficereq; dictam publicam vocem, & famam quoad antiqua docent Baldus,& alij Doctor. *citati in præfata relatione B. Andreæ d. vers. primò*, accedente maximè pro adminiculo instantia Reipub.Placẽtinæ,quę an.1326. pro obtinenda canonizatione ipsius Gregorij supplicauit Ioanni PP.22., & hic commisit causam inquisitionis vitæ, & miraculorum eius Archiepiscopo Pisano,& Mutinensi Episcopo, *vt dictus Bzou. tradit. eod.tom.14. d.an. 1326. nu.19.*& ante eum scripsit famosus Doctor.qui eo tempore viuebat, *Io.Andr.in c. vbi periculum, de elect. in 6. nu.1. refertq; hoc idem Geminian. in eod. c. vbi periculum, nu.3.in prin. nec non & antiquus Rom. Rotæ Auditor, Ioan. Francis. Panuin. in relat. canonizat. Sancti Bonauenturæ par. 2. art.*

 7.qua

7. *quæ relatio in prin. tom. 2. opuscul. eiusdem S. Bonauēt. habetur.* Tenor autem commissionis, & litterarū prefati Ioan. PP. 22. ex registro Vaticano extractus, in hæc verba fuit:

Ioannes Episcopus, seruus seruorum Dei Archiepiscopo Pisano, & Episcopo Mutinensi, ac dilect. fil. Benedicto de Senis Præposito ecclesię Coloniensis, Notario Nostro, salutem, & apostolicam benedictionem.

Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis, fortiter, suauiterq; disponit; nam omnia in sapientia fecit, expleta est tantum creatura sua, quam & constanti fortitudine roborat, & dulci suauitate connectit; quatenùs ex suauitate viri sancti congaudeant, & ex stabilitate minime contabescant: quinim[illegible]estati inuigilent, labori insudent, ac ministerium suum adimpleant, sicq; de virtute proficiant in virtutem, donec videatur ab eis Deus Deorum in Syon: quorum ne bonitas ipsis solùm proficiat, vel offuscetur, aut lateat; eosdem seruos suos, quos ipse nouit; scit enim, quos elegit; nonnunquàm ad varios, dum viuūt, dignitatum gradus assumit, quorum interdum & aliquos ad apicem Summi Apostolatus attollit, vt luceant omnibus, qui in domo sunt, & glorificent Deum Patrem, qui in Cœlis est. Ac insuper, vt de ipsorum post mortem felicitate fides argumentis euidentioribus generetur, & eos coruscare facit miraculis, fama clarescere, ac celebri memoria diuulgari, vt inde Deus mirabilis in Sanctis suis appareat, ipsi honorificentur in terra, qui glorificati creduntur in patria, ac ad virtutum merita cęteri eorum exemplis salubribus excitentur; nec non sacrosancta mater Ecclesia pro eisdem suis æternę beatitudinis filiis meritò iucundetur. Sanè dudum ex parte dilectorum filiorum Iacomini de Pontecarali pro Romana Ecclesia Rectoris, ac Prioris Antianorum, & ipsorum Antianorum, nec non Consilii, & Communis Ciuitatis Placentiæ coram Nobis, & Fratribus nostris propositum extitit, quod fel. record. Gregorius Papa X. prædecessor noster, dum viueret, nitore sanctitatis emicuit, conuersatione resplenduit, ac multis, magnisq; tàm ante, quàm post suum obitum miraculis coruscauit. Quare pro par-

te

te ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, vt de eiusdē Gregorii vita, & miraculis, inquisitione pręmissa, si reperiremus pręmissa veritate fulciri, eum adscriberemus Sanctorum *Catalogo, ipsumq; faceremus per vniuersas Ecclesias honore congruo solemniter venerari. Verum, licet prędicta coram Nobis, & eisdem Fratribus nostris exposita, si vera sunt, nostrū, & nostrorum Fratrum corda multiplici iucunditate repleuerint; attendentes tamen, quod Romana Ecclesia pręsertim in tanto Fidei negotio consueuit cum magna maturitate procedere, vbi videlicet de re tàm ardua quęritur, & de cælestibus indagatur: nam si difficile ęstimamus, quę in terra sunt, & quę in prospectu sunt, inuenimus cum labore, quæ in cælis sunt, quis inuestigabit? vt tutiori, & solidiori tramite procedamus, Discretioni vestrę, de qua plenam in Domino fiduciā obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo vestrum in loco, vel locis, vbi expedire videritis, de vita, conuersatione, ac miraculis Gregorii prędicti, cæterisq; circunstantiis huiusmodi negotium contingentibus, iuxta formam, quam vobis sub Bulla nostra transmittimus introclusam, inquiratis diligentiùs veritatem. & quę super pręmissis inueneritis, fideliter in scriptis redacta sub testimonio sigillorum vestrorum per viros idoneos ad Sedem apostolicam destinetis: vt per inquisitionem vestram sufficienter instructi, sicut res exigit, & expediens visum fuerit, securius in ipso negotio procedere valeamus. Dat. Auinione* VI. *idus Maij anno nono.*

Hactenus Ioannis Papę 22. litterę. Quo verò ad recentiora, & nostræ etiam memoriæ tempora, testes sunt Bernard. Franc. Cipellarius Buxetan. qui in humanis degens an. 1521. *lib. 3. panegyr. Diui Antonini mart.* de isto Gregorio Pontifice sic ait:

Gregorium tacuisse nefas, qui clauiget orbis
Integritate fuit sancta, mortalibus atque
Exutus vinclis, Diuum decoratus honore est;
Corpus & Areti colitur, mirisq; coruscat.

Ioannes Molanus *lib. Natal. Sanctorum Belgij, vbi multa*

de illo sub die 10. *Ianuarij & cum hac inscriptione:*De Sancto Gregorio X. nec non Ioan. Bapt.Signius,qui *lib.*1.*c.* 14.*de ordine, ac stat. canon.* asserit dictum Gregorium inter Beatos Belgij adnumerari; &, vt alios auctores omittamus, F. Hieronym. Capugnanus, qui *in suo Italiæ itinerario,vbi de Placentia loquitur,* Gregorium X. inquit Aretij sepultum miraculis fulgere; & de Aretio quoq; verba faciẽs, ibidem in maiori Ecclesia ait inter alios Sanctos quiescere eũdem Gregorium miraculis clarum.

Secundum argumentum est publicus cultus, nonnisi Sanctis debitus. Dies enim illius obitus tanquàm festus in Aretina ciuitate celebratur cum luminaribus ad sepulcrum, & apparatu Ecclesiæ à 277.annis citrà,& cum thurificationibus, ac pulsu campanarum, & organi (Missa tamen,& officio de die tunc infra octau. Epiphaniæ currente decantatis) & cum expositione eius imaginis, ac oblatione, quam facit ad dictám Ecclesiam Magistratus illius vrbis in honorem ipsius Beati Gregorij,vt verbis statuti vtamur, conditi per commune,& consilium dictæ ciuitatis,quæ an.1345. decreuit, quod omni anno expenderentur in festiuitate eiusdem Gregorij de redditu ipsius communis centũ libræ in cæreis dictę festiuitati suę offerendis per D.Potestatem, & Consilium generale populi Cathedrali Ecclesiæ Aretij, & teneretur Potestas præconizari facere per Ciuitatem, quod in die festiuitatis prædictæ non aperirentur apothecæ, sed cum reuerentia celebraretur, & custodiretur festiuitas dicti Gregorij, essetq; dies ille feriatus; & quod insuper mitterentur duo Fratres de Minoribus, & duo de Prędicatoribus ad sollicitandum canonizationem ipsius Gregorij, prout de his omnibus cõstat *ex statutis dicti anni lib.* 2.*sub rub.*39. *& etiam ex alijs statutis postmodum reformatis; nempe stat.* 3.*sub tit.de ordinarijs oblationibus, & stat.* 6. *sub tit. de ferijs.* certissimumq; est etiam, haud multò post per Aretinam vrbem tàm in Ecclesijs,quàm extra eas,& in vijs, ac locis publicis eiusdem Gregorij imagines tum pi-

ctas.

ctas, tum sculptas fuisse cum titulo, ac inscriptione Sancti, & cum diademate capiti more Sanctorum appositis; quæ quidem imagines vetustissimę adhuc ibi conspiciũtur: prout & in ciuitate Placentiæ extat in hunc diem vnica similis imago ipsius Gregorij X. cum diademate Sancti ab antiquissimo tempore picta in muro exteriori secus stratã publicam sacræ Ædis Diuæ Fidei virg. & mart. dicatę. Quæ nimirum anniuersaria solemnitas per Aretinos subinde à dicto anno 1345. citra vsq; in præsentem diem obseruata fuit, & obseruatur, vt notorium est, & refert etiam Molanus sup. citat. Clarumq; est, quod ex huiusmodi cultu publico, & solenni sic vt supra eiusdem corpori singulis annis exhibito de consensu saltem tacito Summorum Pontificũ, insurgit maximum sanctitatis dicti Gregorij argumẽtum. Cultus si quidem publicus Sancto dumtaxat debetur, *c. 2. de reliq. & ven. Sanct. & vbiq; Doctor. ac Bellarmin. c. 10. de Sanct. beat. lib.* 1. & Romani Põtifices, qui adeò vicini sunt vrbi Aretinæ, non vtiq; illum permisissent, nisi priùs exhibita fuissent Apostolicæ Sedi magna sanctitatis signa, vt põderatum fuit in relatione Sancti Hiacynthi *fol. 33. vers. & quamuis.* & pręsumitur in casu nostro, stante quod in Vaticana Bibliotheca iamdiu asseruantur multa ex dicti Gregorij miraculis. Sed nec istud toleratum fuisset per tot illius ciuitatis Episcopos, maxime illos, qui externi fuere: & solliciti præsumuntur in huiusmodi rebus ad eorum officium spectantibus, ex *optimè trad. per DD. Auditores in facto B. Andreæ, par. 5. §. 1. versic. secundò confirmatur*. neque per Apostolicos Visitatores, & signanter per Sanctum Antoninum Archiepiscopum Florẽtinum cuius tempore etiam celebrabatur dicta festiuitas; nam de hac luce migrauit, vt supra diximus an. 1459. & non modò ipse, cum pluries deuotionis gratia dictum locum visitauerit, huiusmodi concursum, & celebritatem non improbauit; sed imò consideratis considerandis, vtpote doctissimus, & sanctissimus vir, de ipsius Gregorij sanctitate, & miraculis in hanc senten-

tiam

tiam disertis verbis deuenit, *hist. par. 3. tit. 20. c. 2.* §. 4. Fuit autẽ (dixit ille) vir optimus, & procul dubio sanctissimus, ingentis animi quidem cõtra Christiani nominis inimicos &c. *& paulò infrà :* Sepultus est Aretij summa cum veneratione, multaq; circa illius corpus miracula postmodũ subsecuta fidem eius sanctitatis indubiam præbuère.

Ex quibus omnibus supra deductis, ac alijs per *Bellarmin. traditis in eod. lib. 1. de sanct. beat. c. 8.* apparet huiusmodi cultum in honorem Gregorij nostri adeo antiquum, & continuatum, maximam habere vim, & talem, vt ille omninò manuteneri debeat per ea, quæ docet in similibus, & refert ita pluries Romæ resolutũ fuisse corã diuersis summis Põt. *Andreas Molfes. in comment. ad consuetud. Neap. tom. 2. cons. 45. nu. 75. & seqq. & cons. 46. nu. 12. & signanter hoc in canonizatione Sancti Didaci ex relatione Cardinalis Columnę an. 1588. licet ipsius cultus spatium annorum centũ & viginti trium ab eius obitu non excederet, plurimum prœualuit ad illam obtinendam, vt habetur in historia eiusdem Sancti Didaci à Pegna conscripta lib. 2. cap. 7. & in vita B. Ambrosij Sansedoni, Romæ impressa an. 1611. lib. 3. cap. 15.*

Tertium sanctitatis generale argumentum est ipsius Gregorij beatificatio, quam factam fuisse incontinẽti, & sic de dicto an. 1276. per eius successorem Innocentium V. asserit Hippolit. Donesmund. *hist. Eccles. Mantuæ lib. 4.* & confirmari hoc videtur ex quampluribus miraculis paulò post eiusdem Gregorij obitum secutis, ipso etiam Innocẽtio (qui mense quinto elapso defecit) adhuc viuente relatis in publicam tabulam, prout videre est in transumpto ad eius tumulum appenso, & in codice quoq; M S. quem asseruari diximus in Bibliothe. Vatic. in quo vtroque loco verba hęc habentur:

In nomine Domini amen. An. D. 1276. indictione quarta. Domino Innocen. V. Papa residente, infrascripta sunt miracula, quæ Dominus Iesus Christus fecit meritis Beati Gregorij Papæ X. in personis infrascriptis, quæ se cum reueren-

uerentia obtulerunt B. Gregorio ſupradicto,&c. Et refert ea Bzouius vnà cum nonnullis ex dictis miraculis *tom.* 14. *an.*1276.*nu.*2. addens miracula omnia ibi deſcripta ad numerum 32. in totum, eſſe autentica, & approbata. Confirmaturq; etiam ex memoria dicti Gregorij in Martirologio Romano apud eandem Eccleſiam Aretinam ſcripta, quam pariter recenſet præd.Bzou. *vbi ſup.nu.*3. & nos infra c.vltimo ponemus, & ex eo quoque, quod apertè dicit Bartolomæus Piſan.qui vixit de anno 1335.ſcriptor librorum conformitat. Sancti Franciſci, *lib.* 1.*fructu.* 8. ipſum Gregorium canonizatum fuiſſe in diæceſi Aretina; affirmantq; hoc idem *Robert.Licienſis, Epiſc. Aquinas in ſerm.de Sancto Bonauentura, Rodulph. Toſsianen.lib.*1.*hiſt.Seraph.relig.vbi de eod.Sancto Bonauentura, & Cronic. Fratr.Minor. par.*2. *lib.*2. *cap.*7. quod omni in caſu nonniſi de beatificatione intelligi debet, vt aduertit Molanus in *d. lib. Natal. Sanctorum Belgii*, & in eandem ſententiam videtur loqui Volaterran. dum *lib.*22.*ait:*Moritur Aretij in itinere,ibiq; ſepultus, atq; vt vir Sanctus adoratus.

Quartum argumentum eſt laudabilis, & ſancta conuerſatio, quā dictus Gregorius à teneris vſq; annis tenuit, in ea vſq; ad obitum perſeuerans,& ob quam eius pietatem,& virtutes eximias, moreſq; honeſtos (quæ omnia ſanctum efficiunt hominem, 40.diſt. non nos, cum ſeqq.& vt dixit Sācta Lucia ad tyrannum, caſtè,& piè viuentes templū ſunt Spiritus Sancti) meritò cariſſimus fuit Innocentio 4. Sum. Pont. & Cardinalibus, *vt ſcribit Ciacon.* & valde gratus *S.* Ludouico Francorum Regi; necnō ſanctis Doctoribus Bonauenturæ prædicto, & Thomæ de Aquino, *ex eod.Ciacon. & aliis:* ac optimo etiam viro Iacobo de Placentia Cardinali, & Epiſcopo Præneſtino, de cuius ſanctitate Gregorius IX. in litteris encyclicis cōtra Federicum teſtatus eſt, ipſum à mundo, & à carne ex ſuſceptione vſq; ſacræ Religionis (nam ante Cardinalatum Monachus erat Iacobus, & Abbas Ciſtertienſis) ita aſtrictum fuiſſe, vt in Diuini amoris

moris

moris altitudinem euolaret, *Bzou.tom.13.an.1239.num.6.* & cuius tanti viri fama præclara excitus Gregorius noster Decimus, qui tunc Tedaldus, vel Theobaldus nomine dicebatur; protinus ad illius præsentiam se contulit, & ab eo in familiam suam ascitus, œconomi iure domui toti præfectus est *secundum Ciaconi, & aliorum relationem*; vt nil mirum, si æquè, ac ipsi, Tedaldus maxima sanctitate emicuit, *dicente Psal. 17. si cum sancto, sanctus eris, &c.* & in hac laudabili, sanctéq; acta vita certum est eundem Tedaldum deinceps, & eo præsertim tempore, quo ad Papatum assumptus est, inuentum fuisse toto conatu perseuerantem, prout ex proximè dicendis in argumento sequenti patebit: & tantò magis post adeptum Pontificatum, cum vno ore scriptores, *Platina, Bergomensis, Ciaconus, Bzouius, Razzius, & alii* affirment dictum Gregorium in omni vita ad extremum vsq; spiritum sanctissimè vixisse, & virum probatum fuisse. Concurratq; etiam in hoc status perfectissimus ipsius Pontificalis dignitatis Gregorij, per ea, quæ de statu dignitatis Episcopalis Cardin. Albanen. in Sancto Bonauentura ponderauit *Panuin. in præallegat. relat. eiusd. Sancti Bonauent. par. 1. ar. 1. ad fi.* & quæ ad excludendam necessitatem magni examinis in canonizatione *adducit Molses in iam citato cons. 46. nu. 29. & seqq.* Vnde & Sanctus Antoninus Archiep. præter ea, quæ suprà de eodem Pontifice scripsit, narrat populum Florentinum in ipsius Gregorij reditu à Concilio (quod paulò ante eius obitum contigit) obuiam illi processisse tùm ob reuerentiam, tùm ob sanctitatis opinionem, cuius rei meminit etiam *Leonardus Aretinus histor. suarum lib. 3. fol. 49. vers. 4.* Et Blondus de Gregorij accessu ad vrbem Aretinam loquens *dec. 2. lib. 8.* Cūq; Aretium (inquit) peruenisset Sanctus, & summa dignus veneratione Pontifex &c. Sanctum quoq; eum appellat Ioan. Petr. Maffeus *in vita Sancti Thomę Aquinatis, & alii, de quibus proximè infra.*

Quintum verò argumentum est, huius serui Dei miraculosa

ad

ad summum Pontificatum electio, quam omnes ferè auctores vti admirabilem notant, & miraculosè, & à Spiritu sancto factam dicunt. *Molan. d. lib. Natal. Sanctorum Belgii, Bzou. in annalibus ad an.* 1276. *num.* 1. *Bosius hist. relig. S. Ioan. Hierosolim. lib.* 10. *Vbernerus Cartusian. in fasciculo temporum, & alii,* tanquàm de viro extrà Collegium posito, & in longinquis partibus existente, de cuius vita, vel morte veritas incerta erat. Cum enim Pontificium solium ab obitu Clementis 4. annos ferè tres vacasset, post varias Patrũ dissensiones tandem in illum dicti Patres conuenerunt, qui tunc nec Cardinalis, nec Episcopus erat, sed tantum Archidiaconus Leodiensis, & absens in Syria pro Christi obsequio; idq; ob præclaras eius, & egregias virtutes, atque animi dotes, *Panuin. de Pontific. & Cardinal.* & vti in sanctum virum, *dicit paul. Aemil. de rebus Franc. lib.* 7. *Meyerus in Annalib. Flandric lib.* 9. *Iacobus de Susato in Cronic. Magist. gen. ord. Præd. ad an.* 1271. *Marcus Guatius in Cron. Ferd. del Castiglio hist. S. Dominici p.* 1. *l.* 3. *c.* 9. *& alii*: atq; virum rectitudine animi, morumq; sanctitate orbi toti præclarè commendatum, *scribit Rosiniacus Cosagæus de re Sacerdot. seu Pōtific. lib.* 2. *c.* 30. & à Sancto Bonauentura Cardinalibus propositum *tradunt Bartolom. Pisanus, Robertus Liciens. Molanus, Tempesta, Ciacon. Tosinianen. Razzius, & Cronic Fratr. Minor. locis supra allegat.* Vnde & postea in litteris ipsis, quas sacri Patres ad eundem Gregorium vnà cum decreto electionis per Nuncios transmisere, de illius sanctitate publicum ob testimonium, quod adhuc in Vatic. Biblioth. videre est, ad æternam rei memoriam protulerunt: Vota nostra (dicebant) in venerabilem personam vestram vnanimiter, & concorditer dirigentes, vos per compromissi viã elegimus in Rom. Summum Pontificem; consueto diuinæ laudis cantico Fideliũ adstante multitudine decantato; ducti credulitate firmissima, quod, cum in vobis ab annis teneris laudabiles conuersationes, & vitæ refulserint ornamenta, & odor famæ vestræ gratissimus hinc inde per loca

plurima

plurima sit diffusus; ille benedictus in sæcula, qui vos dignanter in suum assumpsit Vicarium, & in Christiani populi Patrem, ac Dominum gratiosum, de vestris sanctis dabit prouenire meritis, quod in statum prosperum, & iucũdum resurgat Ecclesia generalis, &c. *& in calce:* Festinate vos vestros videre fratres, & filios, & consolari corda gemẽtium, quibus in visione vestri vultus Angelici quam primùm dabitur vidisse delitias Paradisi, &c. Quæ omnia valde confirmant superius deducta, & in simili ponderata fuerũt per DD. relatores in causa B. Andreæ prædicti, vt videre est ibi ad quintum argumentum generale. *& per Panuin. etiam in electione Sancti Bonauenturę tum ad Generalatum, tum ad Cardinalitiam dignitatem prout in eius relat. par. 1. ar. 4.*

Sextum argumentum pro sanctitate istius Patris Gregorij est qualitas mortis eiusdem, quæ certè sanctissima fuit, tum ex tenore sanctissimæ vitæ, tum ex historicorum relatu; maxime Petri Mexiæ, qui *in Rudolphi Imper. vita* Gregorium ait in Ciuitate Aretij obijsse sanctissimè; & Ricardi Vasseburg *in antiquit. Belgicis* ipsum decessisse asserentis cum signo magno sanctitatis ob miracula ibidem facta; tum etiã ex ijs, quæ in eius vita MS. leguntur asseruata Placentię in archiuijs tam Cathedralis, quam Colleg. Eccles. Sancti Antonini, vbi dictus Gregorius fuerat antea Canonicus. sunt autem verba ibidem, quæ sequuntur: Dominus eius laboribus volens finem imponere, ipsum anno D. 1275. *(ab incarnatione scilicet)* quarto Idus Ianuarij ad cœlestem patriam euocauit, sicq; tanquàm mundi, carnis, diaboli triũphator magnificus, factus consors, ac socius Angelorum. Sed quidem fuit summopere admirandũ eum videre tunc temporis, quando delibari incæperat, & tempus suæ resolutionis instabat; quia tantum profuisse viuæ vocis oraculo non potuisset, quantum sanctæ operationis exemplo profecisse visus est: nam Dominicam Crucem desiderãter expetens, & reuerenter amplectẽs, Saluatoris pedibus, quos crebra lachrimarum rigabat effusio, deuotissimè oscula imprime-

primebat, & angelico more suo Genitricem salutans spiritum suum Patri omnipotenti suppliciter commendabat, cui mox sic suauiter animam reddidit suam, vt soporis quieté potius percipere, quàm ex hac vita migrasse videretur. *Hactenus auctor d. vitæ M S. in Archiuio S. Antonini existen.*

Septimum verò sanctitatis argumentum qualitas, & quãtitas miraculorum post eius mortem præcipuè (nam & in vita de quodam miraculo Lugduni patrato clarum est) subsecutorum, *de quibus infra suo loco*; & quæ quotiescunque verè miracula sint, sanctitatem procul dubio concludunt ex deductis in tertio generali argumento relationis dicti B. Andreæ.

Octauum autem & vltimum est qualitas, & status corporis ipsius Gregorij, quod post lapsum 346. annorum ab eius obitu adhuc integrum inspicitur, & suis Pontificijs vestibus ornatum in marmoreo eminenti sepulcro, quod in die festiuitatis eiusdem omnibus fidelibus patet. Et hoc quidem signo solet quandoque Deus honorare corpora multorũ, qui in vita illi fideliter seruierunt, vt de diuersis Sanctis legitur, & adnotarunt memorati DD. relatores in vltimo generali argumento sanctitatis B. Andreæ prædicti.

DE VIRTVTIBVS PARTICVLARIBVS Gregorij Papæ Decimi.

CIrca virtutes particulares, quibus Gregorius, & ante Põtificatum, & in ipso Pontificatu mirabiliter effulsit: mãsuetudo in primis, & humilitas se se offerunt, ob quarum amorem Episcopatus Placentini dignitatem, quam ei Innocentius Quartus Pont. deferebat, constantissimè recusauit. *Ciacon. & alij.* Mox in summo Pontificatus honore, ad quem humilitas ipsa eum extulit, & ne Sancto Spiritui resisteret, ipsum acceptandum duxit; pauperibus Christi miræ humilitatis exemplo pedes quotidie abluebat, *vt legere est in eius prealleg. vita M S.* Dein-

Deinde assiduitas orationis, quæ tanta fuit, vt in ipsa etiã corporis refectione animum à cœlesti contemplatione non auerteret, Deo ita intentus, vt astantibus aliquando dicere nesciret, quid in mensa comedisset; abstinentia quoq; magna in cibo, & potu vsus, nonnisi semel in die manducabat, & tunc parcissimè ad corporis tantùm reficiendam imbecillitatem, adhibitoq; semper lectionis sacræ condimento.

Illius verò castitas,& pudicitia quanta fuerit, inde conijci potest, quod in primæuo vsque iuuentutis flore se morũ normam, ac honestatis speculum cæteris adolescentibus præbuit, nobilissimam originem, quam ex parentibus suis Vicecomitibus Placentinis traxerat,vitę munditia,alijsq; virtutibus condecorans.Quod & confirmat vnico verbo Ptolomæus Lucensis,qui illum optimè nouerat,dum dicit eundem Gregorium miræ honestatis fuisse.

Nec caruit tantus vir sacrarum litterarũ scientia,bonarumq; artium disciplina: nam & priusquàm à Iacobo Card. Prænestino in œconomum assumeretur, in liberalibus artibus, ac iuris vtriusque scientia sufficienter instructus erat;& illo mortuo (*Ciacono teste, & eius vita M S. auctore confirmante*) Parisios se contulit, vbi Diuinis etiam studijs operam sedulò nauauit, & talis euasit, vt ea deinceps publicè summa cum laude è sacro suggesto docens profiteretur, sanctusq; Rex Ludouicus eruditione illius mirificè oblectaretur; quemadmodum,& ob eam Pontifici Innoc.IV.& Cardinalibus in Concilio Lugdunensi gratissimus fuerat, suisq; concionibus Christifideles ad sacrum bellum continuè animabat.

Fuit præterea rerum huius sæculi maximus contemptor; ante Pontificatum quidem,quo tempore oblatum sibi Placētiæ Episcopatum respuit, & cuncta etiam,quę sibi a multis Cardinalibus, qui illum post mortem Cardinalis sui Iacobi expetebant nedum in familiarem, sed in socium, magna proponebantur, (*secundum Ciaconum,& alios*) vt sacris studijs,

dijs, ac Dei seruitio, & animarum saluti totus insisteret. In Pontificatu vero, quotquot de illo scripserunt antiqui, & recentiores historici, vno ore fatentur ipsum Gregorium pecunias, & lucra omninò contempsisse, & intentum eleemosinis manus suas ab omni munere excussisse; quod tetigit quoque Io. Andr. *in cap. vbi periculum, de elect. in 6. nu.* 1. & addit auctor eius vitæ M S. quod, si datum ei fuisset diutius viuere, curiam suam sanctam, & immaculatam reddere disposuerat, vt de munerum perceptione illicita nullatenus notari posset; quia, qui aurum diligit, non iustificabitur. *Ecclesiastici*. 31. Et cum beatus ille sit, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris, de isto bono viro quid sentiendum sit, euidenter patet: fecit enim mirabilia in vita sua, vt Spiritus Sanctus *eodem loco* docet. Ex quo sane pecuniarum, ac rerum huiusmodi contemptu firmissima elicitur ipsius Gregorij spes, & confidentia in Deo ad consequenda cœlestia.

Mirabilis item fuit in omni tempore istius magni viri prudentia, & singularis in rebus gerendis dexteritas, *Platina, Bergomen. Ciacon. & alij.* qua ratione, & domus præfectura ei à Cardinale Iacobo collata, & per ipsum laudabiliter administrata; & complures populorum controuersiæ non raro ab eodem sedatæ: ob idq; etiam in priori Lugdunensi Concilio sub Pontifice Innoc. 4. prudentissimus vir Philippi eius vrbis Archiepiscopi consilia optimè rexit, gratissimusq; dicto Pontifici, & Cardinalibus ob eximias virtutes extitit. (de qua simili prudentia tàm in sedandis discordijs, quàm in Concilij gestis, & alijs huiusmodi rebus dißertè loquitur etiam *Panuin. in memorata relat. Sancti Bonauent. d. par.* 1. *ar.* 4. *ante med.*) Et deinceps à Clemente 4. in Angliam cũ Ottobono Cardinale Flisco missus, ibidem perniciosa dissidia inter Regem, & proceres sustulit, *referente post alios prææallegato Ciacono.* Legationisq; munere in Syriam postmodum cohonestatus, *secundum M. Paulum Venet. de region. Orient. lib.* 1. *cap.* 5. *Diuum Antonin. par* 3. *hist. tit.* 20.

B *cap.*

*cap.2. & Io.Baptist.Ramus. vol.2. nauigat.*tot prȩclara in illis partibus contra Saracenos gessit; & in Pontificem assũptus longe maiora, quæ omnibus nota sunt, quatuor annis dumtaxat; & inter hæc presertim plusquàm septuaginta Cathedralibus Ecclesijs de eorum Pastoribus prouidendo, *vt ex registr. Vaticanis liquet*; Grȩcos ad vnionẽ cum Latina Ecclesia reducendo; creatione vna quinque Cardinalium, præstantissimorum doctrina, & sanctitate virorũ(ex quibus prȩcipuè Sanctus Bonauentura fuit,& alij duo post ipsum Petri Cathedram assecuti sunt) Ecclesiam totam illustrando; & in condenda pro Pontifice Rom. eligendo sanctissima Constitutione,prudenter prius Episcopos sine Cardinalibus, mox Cardinales per nationes vocando;& eis omnibus, antequam ipsis intentionem suam aperiret, sub excommunicationis pȩna præcipiẽdo, ne cuiquàm ea,quȩ tunc viderent, audirent, & facerent cum seipso, patefacere auderent. *Bzou. an.*1274. *nu.* 7. & summa etiam dexteritate sua Alphõsum Castellȩ Regem, vt cederet Imperio, suauiter adstringendo, aliaq; huiusmodi peragendo, quæ in authoribus, & in registris eius leguntur.

Mirabilis & constantia fuit, fortitudoq; eius, tàm in excommunicando populos contumaces, vt Florentinos, Senenses, Papienses,& alios; quàm in tuendo Ecclesiasticã libertatem, vt præsertim cum Regibus Lusitanis bonorũ Ecclesiasticorum cupidis,& alijs Principibus fecit; nec non Boemiæ, Aragoniæ, Castellæ,Suetiæ,aliarumq; partium Reges reprimendo, & Prælatos diuersos de eorum mala vita, & conuersatione pessima minacibus verbis redarguendo, *vt ex Bzou. ann.*1273. *& seqq.*

Mirabilis insuper & patientia ipsius in perferendis, tũ corporis morbis,quibus interdum laborabat,tum etiam alijs quibuscunq; aduersis. Vnde optimus Pontifex,licet admodum senex,& graui perculsus infirmitate Vrbeueteri ann. 1273. pro Dei tamen,& Ecclesiæ seruitio se itineri longissimo in Gallias exposuit libentissimè,vbi adhuc de mense Nouem-

bris

bris eiusdem anni morbo correptus ob ipsius itineris incõmoda nec celebrare potuit, nec Missæ solennijs interesse in die dedicat. Basilicæ Apost. pro publicãdo processu de more contra vniuersitates, & singulares personas, quem nihilominus affigi fecit valuis Ecclesiæ Lugdunensis.
Cæterum in eo magis admirabilis charitas; quę, sicuti vinculũ perfectionis est, *vt ait Paul. ad Coloss. 3.* ita in Gregorio supra omnes virtutes enituit: cuius illa sunt argumenta, quãdo vel in minoribus pacis amator, & partialitatum alienus. totus pro Dei amore in componendis discordijs erat, & totus ardebat pro recuperanda è Saracenorũ manibus Terra Sancta: quando etiam pro persecutoribus exemplo Christi orabat. in historijs enim Leodij habetur, quod quadam die conquerentibus in capitulo Leodiensis Ecclesiæ nobilibus de Prato de maximo, & enormi crimine in eos per Episcopum illum, scelestissimum virum, cõmisso, ipsumq; Gregorio, qui tunc erat Archidiaconus, vt ad bonam frugẽ rediret, charitatis gratia admonente; Episcopus pedẽ ad pectus Archidiaconi incussit: quo viso per illos de Prato, statim nefarium hominem aggressi, ipsum interemissent, nisi dictus Archidiaconus insurgens, & maiori flãma charitatis æstuãs, veluti alter Stephanus, pro inimico suo furorẽ illorũ sedasset. Factus deinde Pontifex vix explicari potest, quã magna Gregorius arderet charitate in Deum, & proximum, ac singulari clementia erga eos, qui ad Sedis Apostolicę gremiũ confugiebant. Omitto lachrimas ab eo largiter effusas in Concilio, & alibi pro extorquenda è manibus infideliũ hęreditate Sancta, & in exponendis Christianorum necessitatibus, qui Terram illam sanguine Christi aspersã incolebãt; & in videndo missionem Gręcorum ad Conciliũ pro ineũda vnione cum Latina Ecclesia, & in amarè flendo Saluatoris Passionem præsertim tempore, quo ipse Gregorius erat ex hac luce migraturus. *Platina. Ciaconus, & alij.* Maxima verò benignitate erga pauperes affectus, & multorũ pedes, vt supra diximus, abluebat, & eorũ inopiã eleemosinis subleua-

leuabat deputatis etiam ad id ſpecialibus miniſtris. Vnde primus fuit Gregorius (*Ptolomæo teſte*) qui non intendens pecuniarum lucris, ſed pauperum eleemoſinis, ſolennē ordinauit eleemoſinam in Romana curia; ad quam faciendā inſtituit quendam Fratrem conuerſum (*ait*) ordinis Prędicatorum, cui nomen Frater Ioannes de Subgromineo, quē ſecum duxerat de vltra mare. Oſtendunt quoq; ſummam eius pietatem, & charitatem tot ab ipſo Gregorio in Lugdunenſi Concilio ordinata; & erga defunctos mādatum illud, quod in eodem Concilio poſt obitum Sancti Bonauēturæ Albanēſis Epiſcopi, & Cardinalis ab eo creati, omnibus Prælatis, & Præsbyteris per vniuerſum orbem fecit, vt quilibet eorum Miſſam vnam pro anima ipſius Bonauēturæ, & aliam pro animabus illorum omnium, qui adueniendo, ſtando, ſeu redeundo ad Cōcilium mortui erant. *Bzou. an.* 1274. *nu.* 7. *ante fi.* nec non inſtitutio Præbendæ cū onere Miſſarum per eum de ſuis redditibus ordinatæ in Baſilica S. Antonini Placentię, ac multa legata Eccleſijs Leodiēſi, Placētinę, & Aretinæ ab eo relicta. Quæ omnia eius miram charitatem præſeferunt, & in huiuſmodi vitę pijſſimo tenore ipſum Dei famulum, vſq; ad extremum ſpiritum perſeueraſſe confirmāt, *ex auctoribus ſupra allegatis.* cuius ſpeciem probationis in antiquiſſima materia ſufficere dixerūt DD. Auditores in memorata B. Andreæ relatione: & hinc ſatis conſtat virtutes omnes in hoc Dei viro emicuiſſe, & in gradu excellenti, & non ſine cauſa à Sancto Antonino Archiepiſcopo fuiſſe dictum, quod fuit Gregorius ille vir optimus, & procul dubio ſanctiſſimus, *d. cap.* 2. §. 4.

DE EXCELLENTIA FIDEI GREGORII Papæ Decimi.

NVnc de ipſius excellentia in Fide dicēdum. Et quidem, licet ex generali ſanctitatis probatione, & ex multitudine bonorum operum hucuſq; narratorum, ſatis de hoc appareat;

pareat; *vt etiam docent DD. Auditores in prædicta relatione B. Andreæ, par. 3. §. 2. vers. cæterùm, quia excellentia fidei:* alia tamen specialia magis concurrunt argumenta, quæ hic breuiter tangenda sunt, veluti profectio ipsius Gregorij in Syriam, & indefessi labores pro sacra expeditione stabiliēda, ad quam populos, & Principes omnes concionibus suis dirigebat; litteræ per eum scriptæ ad magnum Imp. Cham, vt illum ad Christianam fidem suscipiendam attraheret, oleumq; ei transmissum de lampade, quæ iuxta Dominicum sepulcrum Ierosolymis ardebat, vnà cū muneribus, & Nūcijs, *vt refert M. Paul. Venetus, qui vnus fuit ex dictis Nūcijs, ac Io. Bapt. Ramus. locis sup. citatis.* reductio Græcorū ad vnitatem Fidei, & Principum aliquot Tartarorum ad sacrum baptisma recipiendum: miraculum itē ab ipso Gregorio Lugduni, vt infrà dicetur, in vita patratum. Commissio etiam per eum statim in principio Pōtificatus sui facta F. Gaufredo ord. Prędicatorum. olim Sancti Ludouici Regis Galliæ confessario, vt in scriptis omnem viuendi rationē, ac virtutes præsertim secretiores, & insignes ipsius Regis redigeret, & sigillo suo signatas ad Apostolicam sedem pro illius canonizatione tractanda, quamprimum transmitteret. *Bzou. an.* 1272. *num.* 1. adeo quod meritò zelator Fidei, & Diuini cultus à Sancto Antonino prædicto *in prin. eiusd. cap.* 2. *& à Nauclero in pręallegat. generat.* 43. appellatus fuit hic Gregorius. Ad cuius præcipuam Fidei excellentiā optimè conueniunt quatuor illa, quæ *ex eod. Sancto Antonino in sum. par.* 4. *tit.* 8. *cap.* 3. §. 7. DD. Auditores prædicti ad probandam in B. Andrea excellentiā Fidei eruditissimè animaduerterunt, nempe 1. quod quis alta de Deo sentiat. 2. quod transitoria pro pręmio ęterno contemnat. 3. quod in aduersis de Deo confidat. 4. quod à bono opere non desistat. istaq; omnia ex supradictis de Gregorio nostro clarè probata remanent; ita vt de illo iam verè dici possit, quod de Sancto Confessore alma parēs canit Ecclesia, videlicet:

 Qui

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit, & quietus;
Vita dum præsens vegetauit eius
Corporis artus.

Superest modo, vt videamus, an pariter illi conueniat, quod sequitur.

Ad sacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint grauata,
Restituuntur.

DE MIRACVLIS GREGORII PAPÆ DECIMI.

AD miraculorum probationem in genere plurimùm facit illud, quod omnes penè scriptores affirmãt, & communis est opinio, ac publica vox, & fama, ipsum Gregoriũ post mortẽ multa fecisse miracula; & hoc sufficere in antiquissimis ponderatum fuit in relatione prędicta B. Andreę. Cõfirmaturq; in nostro casu etiam ex tabellis, & signis votiuis ad sepulcrum d. Gregorij appensis, & ex charta diuersorũ miraculorum ab antiquissimo tempore citrà ibidem existẽte, quę sanè per Aretinos Pręsules, qui pręsumũtur in spectantibus ad eorum officium solliciti fuisse, ac Visitatores Apostolicos minime ibi remanere permissa fuissent, nisi ea essent vera, quod pariter obseruatum est in supradicta relatione *B.* Andreæ. Et præter miracula, quæ ibi leguntur, alia fere innumera in eadem charta generatim enunciantur his verbis ad calcem positis: Præterea notum sit omnibus vidẽtibus, siue legentibus istam chartam, quod multa alia miracula per merita præfati Sanctissimi Patris Gregorij X. fecit Deus, quæ longũ est enarrare: & quia non potest hæc breuis charta multa eius miracula continere; ideo quicunque eius miracula ad plenum noscere desiderat, ad Sacristam istius Ecclesiæ vadat, qui ei plenos codices miraculorũ Beatissimi Papæ Gregorij prædicti libenter ostendet. Meminitq; de hoc etiam Molan. *in lib. Natal. Sanctorum Belgij.*

Et

Et licet non sit credendum omnia illa fuisse miracula, vt DD. relatores in facto B. Andreæ considerarunt; attamen inuerisimile est inter ea non extitisse aliqua, quæ vere fuerint miracula, accedente pro adminiculo sentētia Diui Antonini Archiep. *de qua sup. in calce secundi generalis argum. circa Sanctitatem istius Gregorij*: prout nec verisimile est, quod in ea re tot homines per tātum temporis spatium decepti fuerint, aut quod permiserit Deus omnipotens, qui corda, & mentes fidelium custodit, illos errare. *vt per dictos DD. ibi par. 3. §. 2. vers. Non tamen. & vers. Vnde etiam. & par. 5. §. 1.* Vt autem in specie de particularibus miraculis dicamus; illud in primis non est omittendum, quod ipso Gregorio viuente, & adhuc Lugduni existēte, precibus eius liberata est à morte mulier in flumen prolapsa, quæ aquis suffocabatur. *Vita eius MS.* Nec refert, quod miracula in vita non omninò concludant Sanctitatē; quia quando operationes non discrepant, magnum inferunt Sanctitatis argumentum, *vt dicit Ancharan. in cap. venerabilis, nu. 2. de testib.* & hoc in Gregorio valde confirmat excellētiam eius in Fide, vt supra diximus.

Quo verò ad miracula post mortem, dæmoniacæ sex numerantur ipsius meritis liberatæ; nempe Lamādina vxor Gerardutij de Florentia annis iam 25. vexata, Himeldina olim Venturæ Brabimantis de castro de Comis; Isminberga rel. q. Ioannis de castro Bibienæ 10. an. & vltra à dæmone obsessa; Druda vxor Amici de rocha de Rezano, 12. an. & amplius; Viuella eius neptis, filia Baldutij eiusdem loci, an. 5. & Bonasia vxor Galgani de Castilione filiorum Alberti an. 30. & amplius vexatæ.

Cæci tres illuminati, Adagiltes mulier Theutonica, filia Henrici de ciuitate Ruthæ Inghenæ, quæ octo annis elapsis visum amiserat; Bona rel. quon. Donati Notarij de ciuitate Aretij, & Ioannes Petri de Carpignolo plebatus Sancti Petri de Massa, oculorum luce annum circiter vnum ambo carentes.

Contracti, & claudi duo; scilicet Benintēda' filius Benincasæ de Vogognano,& Neia Filia Baldutini ciuis Aretini; ambo pristinam sanitatem Gregorij precibus consecuti.

Surdi tres; nempe Rubertus quon. Cainbij de Florentia annis sexdecim, & vltra, & Ioannes olim Tucciardi de Raco an. circiter 21. surditate laborantes; & Margarita vxor Ioānis Sauiæ de castro plebis de Massa, quæ surda erat, & muta à natiuitate; auditum,& loquelam respectiuè ob eiusdē Gregorij merita adepta.

Quatuordecim autē huiusmodi miracula sunt illa,quę de mēsibus Aprilis, & Maij 1276. & sic statim fere post eius obitū secuta,cum suis circūstantijs,ac testium adscripti one explicātur in charta veteri supradicta ad eius sepulcrum affixa, & de quibus dicit Molan.lib. Natal. Sanctorum Belgij, valdeq; probabile est ea fuisse ex illis, quę per sanct. Antoninum Archiep. examinata fuere, & refert nonnulla ex eis Bzou. in *annal. ad an.* 1276.*nu.*1. *& seq.* dicens ipsa miracula esse triginta duo, & omnia autentica, & approbata reperiri in codice M S. Biblioth. Vatic. descripta.

Quibus addi possunt 17. alia relata per auctore eius vitę M S. (nam Aretini codices,de quibus supra meminimus,tot miraculis referti iamdiu diro illius Sacristiæ incendio absumpti fuerunt) affirmātem ipsius Gregorij precibus in specie quendam furcarum patibulo suspēsum a morte liberatum fuisse; certos alios carcere detentos ruptis miraculosè cōpedibus inde liberos euasisse; hominē prouectæ ætatis, cuius ad inferiorem corporis regionem proprio loco dimisso intestina defluxerant, sanitatem recepisse: puellam septennem impetu fluminis raptam, & submersam,ac mortuā vitæ restitutam fuisse; Rectorem cuiusdam Ecclesiæ morbo lepræ percussum, & artetica etiam gutta grauiter afflictum, ab vtraq; infirmitate sanatum; mulierem quoq; gibbam,& alias duas paralysi laborantes, aliam item apoplexia morbo, & aliam,cui cruris tibia, & calcaneus natæ carnis nexibus alligata erāt,aliamq; in mamilla graui,& celeberato dolore

lore detentam, miraculosè curatas; Infantulũ veneno colubri in cuna tabescentem matri sanum, & incolumem redditum; hominem in capite ictu sagittæ periturum, & alium febri continua, spiritibusq; immundis vexatũ, ad sanitatis statum perductos: nobilem etiam mulierẽ, quæ capitis, & manuum vehementem tremorem patiens nec' cibum quidem à se recipere poterat; ad tumulum Gregorij vt accessit, mẽbris suis firmatam: & hominem defectu vocis ita laborantem, vt quantumcunque exclamaret, à nemine verba eius perciperentur, sonoræ, ac expeditæ vocis munere donatũ fuisse; nec non ad tumulum illius cæcis lumen, claudis gressum, mutis verbum, & surdis auditum miraculosè reddita. Nam & si auctor illius vitæ est nobis incognitus, per ea tamen, quæ refert de gestis, & moribus eiusdem Gregorij, cum nõ differant à traditis per Ciaconum, & alios scriptores, & antiquissima sit eius relatio; fidem etiam in his, quæ ad miracula spectant, omnino mereri videtur, stãtibus præsertim alijs miraculis, de quibus supra diximus, & sententia prædicta Sãcti Antonini Archiepisc. quoad sanctitatem, & miracula illius Gregorij.

DE ACTIS CAVSÆ, ET PROCESSVS.

CVm autem certissimum sit de an. 1326. ad instantiã Placentinorum ciuium per Ioannem PP. 22. cõmissam fuisse causam inquisitionis vitæ, & miraculorum Gregorij Papæ X. Archiepis. Pisano, & Episcopo Mutinensi, *vt ex dictis in primo gener. argum. sanctitatis*; haud dubium esse potest, quin & Delegati nedum inceperint processum, & acta, sed etiam perfecerint, licet ea ad præsens forte nõ reperiantur in Vaticano, nec Aretij. Colligitur hoc ex verbis Ioan. Andreæ (qui vixit de an 1330.) *in alleg. cap. vbi periculum, de Electio. in sexto num.* 1. & ex statuto deinceps per Aretinos condito de an. 1345. super festiuitate fienda d. Gregorij, de quo pariter supra in 2. gen. argum. Quod quidem statutum supponit beatificationem ipsius Gregorij, quæ beatificatio

secu-


secuta non esset, nisi prius exhibitis actis,& processu prædicto Apostolicæ Sedi vnà cum miraculis,quæ adhuc in codice MS.vt supra dictum est,Bibliotecæ Vatic.extāt,& Aretini (qui forsan in præallegato Sacristiæ incendio Pontificiam Bullam amisere)in eo statuto Gregorium non appellassent Beati,& Beatissimi titulo, nec dictum festum modo quo ibi ordinassent,nec Præsules illius vrbis id passi fuisset, prout, nec Romanus Pontifex talia permisisset; nec minus decreuissent ijdem Aretini mittere quatuor Fratres Ord. Prædicatorum,& Minorum ad sollicitandum canonizationem. Supponitur etiam huiusmodi beatificatio per memoriam, quę de ipso Gregorio in Martyrologium Romanum ab Episcopo,& Capitulo Aretinæ Ecclesiæ redacta est sub his verbis, *quæ referunt Molanus, & Bzouius supra allegati:* Apud Aretium ciuitatē Tusciæ,depositio corporis Beatissimi Gregorij Papę X.de nobili genere Vicecomitū de Placentia; qui cum esset Archidiaconus Leodiensis,existens in ciuitate Achon cum Christianis contra Saracenos;à Cardinalibus in ciuitate Viterbiēsi miraculosè fuit electus in Papam, & cum summo honore Romæ est coronatus.Fecit autem Lugduni solenne Concilium,vbi inter alia cum Imperatore,& multis Regibus , & Baronibus pro recuperanda Terra Sancta passagium ordinauit,& personaliter illuc iter arripiens,& præcedens an.D.1276.in ciuitate Aretij migrauit ad Dominum, sepultusq; est in Ecclesia Cathedrali.

Hactenus Martyrolog.Rom.dictæ Aretinæ Ecclesiæ,& de ipsa beatificatione testantur etiā expresse authores citati sup. *in 3. gener argum.*

Hæc sunt,Pater Sancte,quæ de virtutibus Gregorij X.predecessoris vestri à nobis inuenta fuere.Placeat S.V.nobis Placentinis, quod humillimè petimus, ex speciali gratia cōcedere; nempe beatificationem ipsius, ac licētiam celebrandi de illo singulis annis,vti de Beato nondum in Sanctorū numerum relato, per ciuitatem,& diœcesim nostram in die eius obitus, scilicet decima Ianuarij,& Festiuitatem,& Officium

cium cum Miſſa, vel de proprio, vel de communi confeſſ. Pontif. Quod ſi de Sancto Leone PP. *3*. legitur, canonizatum fuiſſe ab eo Sāctum Suuibertū cum ſolo libro eius vitæ per Marcellū prçsbyt.ſcripto, vt ait Sanctus Ludgerus *in epiſt.ad Rerſridum Epiſc.Traiecten.c.9. relata per Suriū to. 2. in Suuiberto, die 1.Martij,& per Baron.in annal.Eccleſ. tom. 9. ad an.*804.*nu.3.& ſeq.* Et ſi etiam de Sancto Sola Abbate Anglo à Gregorio 4.prçcibus tantū Altini Aſtēſis Epiſcopi (vt refert *Andr.Molfeſ.d.cōſ.46.n.21.& ſeq.)an.*828.prout & de Sancto Vlderico Epiſcopo à Ioanne XIIII. ex lectura dūtaxat cuiuſdā libelli.de eius vita,& miraculis cōpoſiti,an. *993*.ſecundū *Baron.*vbi ſupra.& de Sancto Petro Anagniç Epiſcopo à Paſchali 2.ex adnotatis ſolūmodo per Brunonē Signiç Epiſcopū an.1105.& de S.Vbaldo Eugubino Prçſule ex teſtimonio quorundā Epiſcoporū,& aliorū an. 1192.Sāctorū Catalogo aſcriptis patet;& de ſimilibus canonizationibus ex ſolis libris quādoq;factis habetur etiā mētio in relatione proceſſus Sāctæ Frācıſcæ per deducta à DD.Auditoribus in illa *B.*Andreæ p.*3*. §.*3*. in fi. quantò magis ex tot vt ſupra deductis, & ex clariſſimo præſertim Sācti Antonini Archiepiſc.Flor. teſtimonio poterit *B.* V.optatā beatificationis gratiam nobis nunc impertiri ad maiorem Dei gloriam, & Sanctæ Sedis honorem? hanc rurſùm deuotiſſimè expoſcimus, & hanc à benignitate veſtra conſequi ſperamus ob merita,& interceſſionem ipſius famuli Dei Gregorij Papç Decimi.

Vt quoque noſter chorus in honorem
Ipſius, hymnum canat & libenter,
Vt pijs eius meritis iuuemur
Omne per æuum.



DE BEATIFICATIONE
GREGORII PAPÆ X.

conuenienter expetita sub Pontificatu Beatissimi.

GREGORII XV.

SIGNVM GREGORII PP. X. electi an. 1271.



SIGNVM GREGORII PP. XV. electi an. 1621.



GREGORIO olim Papę X. pacis inter Christianos cupidissimo, & ad Catholicos Principes, dum in minoribus esset, eiusdem pacis Pontificio Internuncio, sacri Cõclauis institutori, Religiosorum Ordinum moderatori, Orthodoxæ Fidei amplificatori, ac verè pijssimo Pontifici; cõsentaneum esse videtur, (quod non sine pręcipuo Dei Opt. Max. consilio accidisse putandum est) vt à veritate stantibus ijs, quæ supra adducta sunt, ab alio eiusdem & pietatis, & no-

& nominis insigni Pontifice, Gregorio XV. eodem, quo illo, Papali signo in diplomatibus Pontificijs vtente; pacis item ad potentissimos Principes iam Apostolico Legato, eiusdem nuper Conclauis reformatore, ac sacrarum Religionum conseruationi, simul & Fidei prędictę propagationi valde intento, optimiq; Prædecessoris vestigia omnino persequente; optatissimi Beatificationis honores post tot secula decernantur: & ab eodem, quasi ęmulante pijssimum conciuis sui, Gregorij XIII. factum, qui Beatum Gregorium Papam VII. nouo Martyrologio Romano adscripsit; etiam Gregorius hic X. ęque, atque ille, ecclesiasticę libertatis propugnator, ac defensor acerrimus, vniuerso populo Christiano colendus proponatur.



DE EADEM BEATIFICATIONE ETIAM A S. D. N. VRBANO VIII.

GREGORII XV. ſucceſſore, vt cum maximè ſperanda.

DVM autem Gregorius XV. qui hanc rem totam ſacrę Rituum Congregationi cognoſcendam demãdauerat, illius ſententiam vehementer expectaret: factum eſt admirabili etiam Diuino nutu; vt, Gregorio ipſo ad mortalis vitæ exitum vocato, Vrbanus VIII. ad Summi Apoſtolatus apicem extolleretur. Is ſcilicet Pontifex, qui non modo patria Florentinus, ſed qui etiam aliquando Archiepiſcopatus Nazareni dignitate eſſet cohoneſtatus. Quæ duę res certiſſimam tantopere expetitę Beatificationis ab ipſo tandem Vrbano impetrandæ ſpem afferunt. Gregorius enim X. quamquam natione Placentinus Aetruſcus tamen ex perpetuæ ſepulturæ domicilio, miraculorum gloria, & anniuerſaria natalis ſui celebritate in Ætruria ſecutis: & ab duobus Sanctiſſimis Patribus Etruſcis; nimirùm, dum viueret, à Diuo Bonauentura; & poſt obitum, à Diuo Antonino Florentię Archiepiſcopo, pro Sancto habitus; & qui in Syria non tantùm pro Nazarena Ciuitate, ſed etiam pro toto Terrę Sanctæ imperio Chriſti fidelibus recuperando multos labores pertulit: dignus exiſtimatur, qui ab Ætruſco Pontifice, olim Nazareno Pręſule, ad maiorẽ Dei gloriam, Sediſq; Apoſtolicę, ac totius Ætrurię, nec non & Placentinę vrbis decus, & ornamentum; rogantibus pręſertim Sereniſſimis Ætruriæ, ac Placentię Ducibus; Beati nomine, officioq; , ac ſacrificio, primo quoque tempore decoretur. Ab Ætruſco autem Pontifice, qui & Vrbanus dictus alium imitetur Vrbanum huius nominis Secũdum, qui & in Placentinos Ciues inſignia beneficia contulit, & Ætruſcis maximum ſplendorem adaugens alterum Grego

rium, tùm Pontificem, tùm patria Ætruſcum Gregorium nempè Septimum, ſupra memoratum, primo Beati cultu, & honore publico affecit: atque hinc duo hi Gregorij, Septimus, ac Decimus, Ætruſci ambo, & ambo totius Catholicę Eccleſiæ Paſtores, à duobus Vrbanis inter Beatos relati; non minùs in omnium admiratione, quàm veneratione habeantur; & quod de Gregorio X. cõueniēter ſub Gregorio XV. expetitum fuit, conueniētiùs à Beatiſsimo Vrbano VIII. expeditum dicatur.

IN EAMDEM GREGORII X.

Beatificationem ſeu ſanctificationem Anagramma.

GRegorius Decimus, patria Placentinus, vt olim ſummus, ita verè optimus Pontifex, ex nobili Vicecomitum domo Theobaldus antea vocatus; apud Aretinos in Ætruria honorificè conditus, non minùs vita Sanctus, quàm miraculis pręclare fulgens, toto iam orbe pro Sancto praedicatur.

Hic Dei magnus, pijſſimuſquè ſeruus; magno, ac pio Patre Vrbano Octauo Florentino in Petri Sede exaltato, tunc luce clarius, & maxima cum gloria, coeleſti nutu Sanctiſſimus apparebit, & meritò etiam in Vrbe tùm diuino Sanctorum cultu adorandus, tùm proprio officio honorandus.

INSIGNIA GENTILITIA
eiuſdem
GREGORII PAPÆ X.
in Eccleſia Sanctæ Fidei Placentiæ, & apud Ciaconum in libris de vitis Sum. Pont. vbi de ipſo Gregorio.



MC